



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De ordinatione Flauiani episcopi Antiochiæ, & iis quæ huius nomine  
acciderunt, propter datum olim iusiurandum. Capvt XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

etq; de causa eum in partem huiusce historiae retuli: Porro imperator ubi cognouisset ea, quae Paulo, quondam Constantinopolis episcopo acciderant, transtulit eius corpus & in ecclesia sepeliuit, quam Macedonius eius persecutor extruxerat, quaeque adhuc de ipsius nomine nomen seruat augustissima existens aedes, & nobilissima: quae res multos veritatis ignaros, velut & mulierculas, & e plebe complures, suspicari facit Paulum apostolum hic esse conditum: circa idem tempus & Meletii reliquiae Antiochiam translatae, & iuxta loculum Babilae Martyris conditae fuerunt: fertur autem eas Regia continuè via ex Imperatoris mandato intra moenia in ciuitates fuisse receptas, praeter consuetudinem Romanis vsitatam, & alternatis psalmodum cantibus vnoquoque in loco honoratas, donec Antiochiam vsque transportarentur.

*De ordinatione Flauiani episcopi Antiochia, & iis  
qua huius nomine acciderunt, propter datum  
olim iusurandum. CAPVT XI.*

**A**C Meletius quidem talem ibi sepulturam fortitus est: eligitur verò in illius locum Flauianus, praeter datum iusurandum: adhuc enim Paulinus in viuis erat. ex eo igitur maxima rursus perturbatio Antiochenam ecclesiam corripuit, ac plurimi se à Flauiani communione abstraxerunt, & priuatim sub Paulino còuentù egerunt: Quin & ipsi quoq; sacerdotes ob hanc ré inter sese còtendebat. atq; Aegyptij quidè & Arabici & Cyprij velut ob Paulinum iniuria affectù stomachabantur: Syri verò Palæstini & Phœnices, tum etiã ex Armenijs, ex Cappadocibus, ex Galatis, & ex Ponticis plurimi pro Flauiano stabant: Non minimè autem indignatus fuit episcopus Romanus, & cù eo cuncti sacerdotes occidentales, ac Paulino quidem ceteri Antiochia episcopo consuetae scribebant epistolas, quas Synodales appellant. ad Flauianum verò silentium agebant. Quin & Diodorum Tharsi & Acacium Beroeae episcopos, qui illum ordinarant, reos agebant, & pro excòmunicatis habebant. Itaque vt de hisce rebus cognosceretur, scripserunt, tum ipsi, tum Gratianus imperator in occidentem conuocantes episcopos orientales.

Quod